

*ea cura pertinet, ut natos infantes quamprimum fieri poterit.., deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis.* Restat ergo ut concludatur in deficiencia novorum oleorum, nihil obesse quomodo in solemnni Baptismo ungantur infantes Oleo et Chrismate praecedentis anni: quibus omnibus perpensis, et his innixa S. C. affirmative ad primum respondit, et negative ad secundum.

## i) Rebaptizandi.

*Ad quaest.: An Infantes domi in casu necessitatis baptizati sint sub conditione rebapticandi?* S. C. C. resp.: Negative, nisi adsit dubium probabile invaliditatis baptismi. Die 27. Mart. 1683.

Foetus in utero supra verticem baptizatus post ortum denuo sub conditione rebaptizetur. S. C. C. 12. Juli 1794.

## k) Vestis.

*Ad dubium:* Utrum in Baptismate infantes offerre debeant linteolum candidum loco vestis albae, quam efferunt adulti, S. C. resp.: Servandum esse Rituale rom. de Sacramento Baptismi Tit. de s. oleis; vers. altaribus. n. 1436 die 14. Mart. 1643.

## S. BARBARA.

Vd. *Lectiones non approb.*

*Ad dubium* PP. Benedict. Einsidl.: an s. Barbara, ubi celebratur ritu dupl. sine speciali solemnitate (nisi quod privatae personae pro felici morte templum frequentant) sit celebranda die 4. Dec., translato s. P. Chrysologo? S. C. resp.: Quando non constet de speciali Indulto, fiet Officium de s. P. Chrysologo cum commemorat. s. Barbarae tamquam de simpl.; sin autem

adsit concessio Officii de s. Barbara sub ritu dupl., fiet de illa Officium assignando fixam et perpetuam diem s. Petro Chrysologo. n. 4043 ad titul. X. dub. 3. die 5. Maii 1736.

## S. BARTHOLOMAEUS AP.

(Vigilia).

Propter festum principale parochiae Mogain. Dioec. Ossociensis, cadens in vigilia s. Bartholomaei, vigiliam dictam die praecedenti anticipandam esse. n. 1512 die 4. Junii 1644.

## BASILICA.

De preeminentia Basilicae pree aliis Ecclesiis et de Differentia inter Basil. Major. et Minores.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4781 nota).

## BEATI.

## 1) Celebratio festi.

Cf. *Oratio (mutatio,* decr. n. 4526.

## DECRETUM

*Super Cultu Beatis adhuc non Canonizatis praestando a S. R. Congregatione ordinaria habita coram S. D. N. Papa Alexandro VII. emanatum:*

Ad aures E. P. C. S. R. plures devenerunt, qui patrantur indultorum excessus in materia praestationis cultus Beatis adhuc non Canonizatis.

Quamobrem eos eliminare, ne in futurum inducantur, providere studentes, ad infrascripta devenerunt Decreta etc.

1. „Quod eorumdem Beatorum Imagines etiam non principaliter et uti supplices apposita, simulacra, picturae, tabellae, aut scripturae eorum praecleara gesta repraesentantes aut referentes in Ecclesiis, Sacrariis et Oratoriis quibuscumque, et praesertim in quibus Missae Sacrificium vel alia Divina

Officia peraguntur, inconsulta Sede Apostolica, nullo pacto exponantur.“

2. „Quod ibi indultum fuerit per Sedem Apostolicam Imagines, simulacra, pictasque tabellas in Ecclesiis poni et coli posse, in pariete tantum, non autem super Altari collocandi facultas censeatur.“

3. „Quod, si concessa fuerit per eamdem Sedem Apostolicam Altarium erectio, non tamen ob id Missam et Officium de praedictis Sanctis celebrandi vel recitandi facultas tradita presumatur; etenim specifica et expressa concessio super his praecedere debet.“

4. „Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non extendatur, inconsulta Pontifice, ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate.“

5. „In locis, ubi Beatos praedictos ab omnibus coli permisum fuit, non inde publica Officium recitatio permissa censeatur, sed tantummodo privata, nec satisfactoria praecipto recitationis, nisi quoad illos, quibus Sedis Apostolica de hoc indulserit.“

6. „Missae pariter, quae fuerunt indultae certis personis, nempe Presbyteris regularibus vel saecularibus aliquibus Ecclesiae servitio praecipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus, quavis dignitate, etiam Cardinalatus, insignitis, minime celebrentur.“

7. „Dies festi in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, nisi speciali indulto Apostolico provisum fuerit.“

8. „Eorumdem nomina in Calendariis non apponantur, nisi illius tantum loci earumque personarum, in quo et a quibus cultus cum Officio et Missa celebretur.“

9. „In quibusvis Ecclesiasticis precibus, etiam in oratoriis privatis, recitandis, particularia eorumdem suffragia non apponantur vel recitentur.“

10. „Publicis in precibus praeter

indultas et a Sede Apostolica approbatas, iidem Beati non invocentur.“

11. „Eorumdem Reliquiae in Processionibus minime circumferantur.“

S. tamen C. praesentibus declaratione et jussione removere non intendit cultum Beatis per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metu excedentis scientiam ac tolerantiam Sedis Apostolicae, aut Ordinariorum hactenus praestitum ac certis modo et forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum si a centum annis citra cultus hujusmodi aliqua ex parte constiterit auctus et extensus, eo casu S. eadem C. eumdem in pristinum reduci jubet; prout quemvis cultum extra casus praedictos ad expressa tantum verbaliter in Apostolicis indultis omnino revocari mandat sub poenis etc.

Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe ne Beati in Patronos elegantur, ne eorum natalia cum Octavis celebrentur et aliis quibuscumque a S. C. haclenus emanatis, quae praesenti Decreto renovantur.

His autem SSmo. relatis et in C. S. R. ordinaria habita coram Sanctitate Sua per Emum. et Rmum. D. Cardinalem Sacchettum accurate perlectis, mature discussis, Sanctitas Sua ea approbavit et pro omnimoda eorumdem observatione mandavit typis imprimi, ad valvas affigi et publicari, ut elapsa tempore sex mensium a die publicationis eorumdem omnes et singulos eadem exhibita vel personaliter presentata, intimata seu notificata fuissent. Indulsique locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicae possint, imo debeant Saeculares et Regulares quocumque quantumvis exemptos etiam Societatis Jesu, S. Antonii Viennen. et S. Joannis Hierosolymitani et reliquos omnes speciali expressione indi-

gentes, etiam sub censuris compellere. Cum aliqui nulli subdantur Episcopo, qui eos, si excesserint, coercere valeat, eo casu a Sedis Apostolicae Nuntiis, si aderint, sin minus, ab Archiepiscopis, in quorum Provinciis vel ab Episcopis Romano tantum Pontifici subjectis, intra vel prope quorum Dioecesis limites eorum Ecclesiae vel Monasteria sita fuerint, tamquam a Sede Apostolica Delegatis ad hujusmodi Decretorum observationem praedicti omnino contantur.

Die 27. Septembris 1659. n. 2002.

*Ad dubium:* an ubi indultum fuerit, ut Missa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus Imaginem et Simulacrum nec non votivas tabellas super altare exponere, S. C. resp.: Affirmative. n. 2046 ad 1 die 17. Apr. 1660.

Cf. *Imago Beatorum.*

*Ad dubium:* an §. dies festi in Beatorum honorem non celebrentur, extendatur ad festa devotionis? S. C. resp.: Negative.

*Ad dubium:* an *indulta* recitandi Officium cum Octava vel sine et celebrandi missam de Beatis fuerint revocata per dictum decretum (die 27. Sept. 1659), S. C. resp.: Negative.

*Ad dub.*: an in Ecclesiis, in quibus Officium et Missa de Beatis recitari et celebrari possunt, liceat eorum reliquias exponere? S. C. resp.: Affirmative.

*Ad dub.*: an *Episcopi regulares*, qui ex indulto Sedis Apostolicae gaudent privilegiis suae religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, possint de Beatis suae Religionis recitare officium et in propriis Cathedralibus missam celebrare et altare Beatis praedictis erigere? S. C. resp.: Negative. n. 2046 2—5 die 17. Apr. 1660.

*Ad dubium:* an B. Rita de Cassia possit eligi in titularem Ecclesiae publicae in Hospitio Meliapuriensi PP. Eremitorum s. Augustini, quia cum de Titulari cuiusvis Ecclesiae debeant

fieri Suffragia in Laudibus et Vesperis quod est prohibitum quoad Beatos nondum Canonizatos; item de Titulari fit Officium cum octava, de Beatis vero non fit cum octava absque speciali privilegio? S. C. resp.: Non licet PP. Eremitis Pontificio indulto nequaquam munitis assumere in Titularem propriae Ecclesiae B. Ritam de Cassia et in casu, quo dicta B. Rita sit electa in Titularem contradicente Ordinario, Titulum sic assumptum debere supprimi et alium pro eo de Sancto jam canonizato substitui. n. 4101 ad 1 et 2 die 23. Jan. 1740.

Episcopus Boianen. S. R. C. exposuit nonnisi cum scandalo populi totius Regni Neapolitani posse debitae executioni demandari Decretum editum super cultu Beatis non canonizatis praestando; quamobrem supplicavit, dignaretur Sac. Cong. ei praecipere, si quid quoad B. Cajetanum apud Neapolitanum Populum in magna veneratione universim habitum connivendum videatur?

Et S. C. jussit, „cum SSmo. agi: an quoad praeterita, nempe quoad Altaria jam erecta et Imagines Beatorum publicae venerationi hactenus expositas, firmandum sit, ne removeantur, praecipiendo stricte Episcopis, ne in futurum nova erigi et exponi permittant, procedentes contra inobedientes etiam exemptos, ut delegati Sedis Apostolicae vel si de omnibus Beatis haec firmari non placeret, saltem dignaretur Sanctitas Sua declarare, Decretum emanatum non extendi ad Beatos illos, quorum nomina recensentur in Martyrologio Romano, saltem quoad Altaria jam erecta et Imagines olim expositas tum in publicis locis. Delato autem ad SS. sensu S. C. mandavit: Episcopo Boianen. et aliis hujusmodi potentibus responderi, quod suaviter curent executioni demandare Decretum et Populum, quantum po-

terit, tum per Confessarios, tum per Concionatores praemoneri faciant, quod S. Cong. non intendit cultum privatamque Populi religionem in B. Cajetanum removere, sed potius, ut augetur, desiderat; at cultum publicum ubique Sanctis Canonizatis praestandum, Beatis fieri communem vetat, alias nulla daretur distinctio inter Sanctos et Beatos, et frustra (quod absit opinari) Ecclesia ad solemnia Canonizationis procedere, quodammodo videtur, si causa hujusmodi effectus novos minime produceret.“

Quo vero ad novam provisionem, „Sanctitas Sua dixit, maturius procedendum, neque quidquam contra firmatam legem velle firmare.“

Die 12. Junii 1660.

Cum alias S. R. C. 30. Julii 1616 annuente s. m. Paulo V. statuerit, in posterum non esse amplius apponendos in Martyrologio rom. Beatos quoscumque sed solum *canonizatos*, idemque decretum ad S. eadem C. sub 31. Maii 1680 fuerit denuo renovatum et a s. M. P. Innoc. XI. confirmatum: nunc ad praecipandas instantias, quae saepe fieri solent pro praedictis Beatis, eadem S. C. praesenti decreto mandat et praecipit supra memorata Decreta omnino in posterum esse exequenda ac in Martyr. rom. nonnisi Sanctos tantum *canonizatos* describi posse et apponi debere, si SS. plauuerit. Die 13. Febr. 1734. Factaque per Secretarium SS. hoc decret. Clementi XII. relatione, SS. hoc decret. approbavit atque in posterum inviolabiliter servari jussit. Die 6. Mart. 1734.

2) In eorum honor. non deb. consecr. Ecclesiae.

Quum Episcopus Vercell. optaret in hon. *beatae Ludoviciae a Labaudia* Deo consecrare Ecclesiam, enixe efflagitari Indultum. S. C. resp.: Obstant

decreta. n. 4890 die 11. Apr. 1840. Beati in Patronos non eligantur. S. R. C. 27. Sept. 1659.

3) Beati Ordinis.

Vd. *Lectiones.*

## BEATIFICATIO.

Vd. *Martyrologium; Canonisatio; Imagines Beatorum.*

Nullatenus in Anniversario Beatificationis debere celebrari festum cum officio, nisi illa tantum die Beatificationis et eo modo, quo concesserit S. C. n. 772 ad 6 die 28. Oct. 1628.

Non potuisse nec posse tam Saeculares quam Regulares cujuscumque Ordinis et Instituti etiam Societatis Jesu exceedere limites verbales Indulorum Sedis Apostolicae super Beatificationibus, praesertim in celebratione missarum et Officii cum Octavis, nisi hoc expresse Sedes apostolica eis indulserit. n. 1654 die 5. Oct. 1652.

Non possunt Sacerdotes absque speciali indulto, missas currentes celebrare in honorem alicujus Beati non canonizati. n. 1935 ad 3 die 28. Sept. 1658.

## DECRETUM.

Ea est judicij sanctitas, cum de Viris virtute commendatis honoribus Coelitum donandis apud Apostolicam Sedem quaestio instituitur, ut quae possint ad tantam rem tuto conficiendam, adque ad quemlibet vel tenuissimum scrupulum propulsandum expedire, ea omnia a Romanis Pontificibus sapientissime inventa atque statuta fuerint. Huc spectant, quae jussu S. M. Urbani P. VIII. a Consistorialis Aulae Advocatis habentur in publicis Consistoriis Orationes, quibus de vita et gestis alicujus Servi Dei diserte refertur, ut ipsius nomen in Beatorum vel Sanctorum Fastis adscribantur.

Quae quidem, ut recte ac pro summi negotii gravitate fiant, Institutio quedam ab eodem Pontifice fuit sancta die XXVIII Januarii anno MDCXXXI, qua et Secretarii S. R. C. partes et Consistorialium Advocatorum Officium in id genus Orationibus distincte, perspicueque praefiniuntur. Cavetur quidem, ut causarum electio ad ipsum secretarium spectet, qui adnotabit in schedula a se subscribenda nomen Servi Dei unicuique Advocato per turnum assignandi, tum, ut eidem per octo saltem ante propositionem dies eadem Oratio tradatur emendanda atque accommodanda, si quid adversus ipsius Institutionis praescripta ibidem deprehenderetur. Argumenta insuper, de quibus disserere fas sit, designantur, ne quid temere vel minus opportune apteque proponatur.

Quae quidem omnia S. M. Benedictus XIV. luculenter tradit in praeclarissimo Opere de Beatif. et Canoniz. Sanctorum lib. 1. cap. 35. Verum cum in praesens, quod ferme ex varietate ac perturbatione temporum contingit, ab accurata hujusmodi Institutionum executione declinari coepit, S. D. N. Pius VII. P. M., pro eo, quo praestat zelo in ecclesiastica disciplina tuenda suorumque Praedecessorum Decretis vindicandis, decrevit, ut praedicta Urbani VIII. Institutio, exceptis septimo et octavo capite, quibus de honorarii tribuendi ratione ac de commissione ab Advocato proponente tenenda agebatur, plene et integre in posterum servetur, ac nemini liceat adversus ipsius dispositionem operari. Quod Decretum Sanctitas Sua infrascripto Secretario mandavit in acta S. R. C. referre, ut ab iis, ad quos spectat, inviolabiliter observetur. n. 4518 die 30. Apr. 1816.

### BEDA VENERABILIS.

Vd. *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4044).

## BENEDICAMUS.

### 1) In missa.

Cf. *Ite missa est* (decr. n. 4526).

*Ad dubium*: an in illis Ecclesiis, quibus ex indulto celebratur festum SS. Conceptionis cum octava, diebus, quibus occurrit, aliquod festum duplex celebratum ab Ecclesia universalis de praecepto, canendum sit in fine *Bened. Dom.* de S. M. vel potius de festo duplice? S. C. resp.: *Canendum esse de S. Maria.* n. 2393 die 15. Jan. 1667.

*Ad dubium*: an in octava B. V. M., quando occurrit aliquod festum, sit dicendum *Benedicamus Dom.* de B. V. vel de Sancto occurrente? S. C. resp.: *Dicendum esse de B. V.* n. 2401 die 5. Mart. 1667.

### 2) In Officio.

(*Quis cantat?*)

Vd. *Versiculos.*

## BENEDICTINI.

Vd. *Breviar. Benedictinum; S. Benedictus; S. Scholastica.*

## BENEDICTIO.

### 1) Abbatis.

a) *A quo fieri debeat?*

Vd. *Abbas.*

b) *Quo modo danda ab eo?*

Vd. *Bened. cum SSmo; Usus Pontificalium*

### 2) Agrorum.

(*Delegatio.*)

Vd. *Benedictio (delegatio).*

Ordinarii, quibus diriguntur litterae Apostolicae benedictionis agrorum cum his verbis: *auctoritate nostra benedicas seu benedici cures in subdelegando deputare possunt sacerdotem ad libitum et non tenentur ad eligendum*

dignorem. n. 1398 die 28. Junii 1642.

Jus benedicendi campos spectat ad Parochum. n. 2286 ad 4 die 12. Julii 1664.

### 2) Annuli Nuptiarum secundarum.

*Ad dubium*: Utrum in Nuptiis, quae secundae dicuntur, omittenda sit benedictio Annuli? Et S. eadem C.... rescribendum censuit: Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimurum:

„Negative.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4780 ad 2 die 27. Aug. 1836.

### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Datur sponsae annulus in Signum mutuae dilectionis eam inter et sponsum, et est tamquam pignus junctionis cordis utriusque, idque ex ipsa eruitur Oratione, quam in dicti annuli benedictione adhibendam prescribit Ecclesia; in hac enim et de fidelitate integra, et de mutua charitate fit mentio, in qua vivere uterque semper debet. Hinc S. Isidorus de Eccl. Off. scribit capite 19.: *Illud vero, quod in primis annulis a sponso sponsae datur, fit, hoc nimurum, vel propter fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur.* Ideoque non Sacerdos hujus Sacramenti minister, non aliis quisque, sed ipse sponsus sponsae digitum annulo ornat. Benedicitur vero annulus, ut omnis fascinatio a connubio amoveatur, et idcirco, cum signum Crucis, benedictio sacerdotalis et aqua benedicta valeant (quemadmodum innuitur in ordine ad faciendam aquam benedictam) ad *effugandos daemones et effugiat* (legitur in excorismo salis) *omnis phantasia et nequitia vel versutia diabolicae fraudis.* Ut fias aqua exorcizata (legitur in excorismo aquae) ad *effugandam omnem potes-* tatem *inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum Angelis suis Apostaticis,* et in oratione sequenti,.. elemento huic (aque) virtutem tuae benedictionis *infunde, ut creatura tua mysteriis tuis seriens ad abigendos daemones... divinae gratiae sumat effectum:* cum inquam signum Crucis, benedictio sacerdotalis et aqua benedicta ad effugandos daemones valeant, optime sapienterque statuit Ecclesia S. edocta Spiritu, ad pacem in connubiis servandam hunc annuli benedictionem (quae inter Sacramentalia recensetur) instituere et praescribere, et peculiarem orationem assignare, per quam annulus ab omni diabolica fraude, nequitia, versutia, malignitate purificetur. Jam quaeso, cur haec annuli benedictio erit in secundis nuptiis omittenda? Numquid, qui secundo nubunt, pacem non tenentur inter sese conservare? Numquid non amari invicem debent, ut hoc mutui amoris signo debeant carere? Numquid mutuae fidei debito liberantur (ad quam servandam aequa per secundum conjugium adstringuntur, ac si uterque primo nuberet), ita ut hujus fidei inter se servandae symbolico pignore non indigeant? Numquid diversa sunt sui status officia aut matrimonii Sacramentum, quod secundo nubendo suscipiunt, ab aliorum matrimonii Sacramento differt, qui primo illud suscipiunt? Haec quisnam dixerit unquam, aut quamnam inter primas et secundas nuptias differentiam quis unquam potuit afferre, ut hanc annuli benedictionem, quae ad allatos et ab Ecclesia intentos fines instituta est, et peragitur, ab Ecclesiae ritibus excludat, aut omitti debere contendat, tamquam sine fine, sine significatione, sine ad aliquid relatione adhibetur? Arbitrarie ergo nimis, hanc omittens benedictionem, Rubricae verba interpretatur, ab Ecclesiae in-